DE PEDIBUS SOLUTIS IN TRAGICORUM MINORUM TRIMETRIS...

Karl Friedrich Müller

Digitized by Google

Class 4288.79

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 11 March, 1898.

Digitized by Google

Digitized by Google

De pedibus solutis

in

tragicorum minorum

trimetris iambicis.

Scripsit

Carolus Fridericus Müller,
Dr. phil.

Kiliae
ex officina Schmidt & Klaunig.
1879.

1879. Progr. Nr. 238.

Digitized by Google

13297.47

Class 4258.79

HARVARD COLLEGE
MAR 11 1898
LIBRARY.

Scientific fund.

Digitized by Google

De pedibus solutis in tragicorum minorum trimetris iambicis.

In commentatione scripta *de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis* (Berol. apud Weidmannos 1866), qua quibus legibus Graecorum tragoediae principes illi sese adstrinxisse viderentur in trimetris condendis investigare studuimus et enucleare, rationem non esse habendam rati sumus tragicorum qui dicuntur minores, quippe quorum fragmenta ad constituendas illas leges ac definiendas parum valere existimaremus. Neque Joh. Rumpelius, qui eodem fere tempore eam quaestionem summa, qua solet, diligentia pertractavit (in Leutschii Philol. XXIV., pg. 407 sqq., XXV., pg. 54—56), minorum tragicorum versus accuratius esse respiciendos censuit, praeterquam quod quibus locis plures in singulis senariis admissae essent ab iis solutiones, paucis admonuit (l. l. pg. 64, 65). Licet vero luce sit clarius, ex solis istis laciniis certam regulam erui non posse, quum neque satis larga sit copia versuum superstitum, unde qua tragicorum quisque ratione metricam artem tractaverit, jure colligatur, et versus ipsi quo modo emendandi sint in libris manu scriptis aperte corrupti, saepissime videatur maxime ambiguum, tamen ad confirmandas saltem et stabiliendas leges aliunde petitas haud levis esse fragmenta illa momenti ac minime contemnenda, quin diserte profitear nunc quidem facere non possum. Qua de causa ut rem propositam omnibus omnino numeris absolvisse dicar, occasionem nanctus diu optatam jam, quod prius neglexi, quam potero accuratissime supplere conabor. Quod si quis me iterum descendere ad disquisitionem satis minutam mirabitur, reputet secum, quamvis Graecorum metrica doctrina nostra imprimis aetate egregiis virorum de litteris summopere meritorum studiis incredibili paene modo adaucta sit, tantum tamen abesse, ut omni ex parte perfecta sit atque absoluta ut permultae etiamnunc supersint singulae quaestiones, quae, qualis est ista disciplina, accuratissima indigeant et subtilissima pervestigatione. Neque medius fidius id mirum, nisi forte facile fieri posse censes, ut quae longa saeculorum serie jacuerint in tenebris ac situ quasi obruta, ubi primum in lucem prolata sint, pristino protinus nitore omni ex parte splendescant. Quae quum ita sese habeant, ad fundamenta firmanda et corroboranda hujus disciplinae, quae recenti demum tempore denuo construi sit coepta, undique materiem congeri

Digitized by Google

oportere ac ne minima quidem subsidia, modo idonea videantur et utilia ad aedificandum, contemtim esse respuenda, quis est quin lubentissime nobis concedat? Adde, quod aliae quaestiones, quae paullo majoris sint momenti, tam arcte cohaerent cum re nobis proposita, ut ad certum finem perduci non posse videantur, nisi ratione habita observationum, quas in iis, quae sequuntur, proferre in animo est.

Ceterum hoc quoque loco eam esse ineundam viam putavimus, ut singulis deinceps, quotquot in minorum tragicorum senariis enuniantur, solutionibus enumeratis ac pertractatis, quae ex observationibus nostris maxime concludenda esse arbitraremur, in fine hujus disputationis proponeremus. Respicienda autem censuimus primum fragmenta *Phrynichi, Aristiae, Aristarchi, Neophronis, Jonis, Achaei, Euphorionis, Philoclis, Melanthii, Jophontis, Agathonis, Xenoclis, Critiae, Dicaeogenis, Diogenis Atheniensis, Astydamantum.*[1]) *Chaeremonis, Antiphontis, Dionysii, Carcini, Theodectae, Diogenis Sinopensis, Cratetis, Pythonis, Cleaenети, Moschionis, Lycophronis, Philisci, Sosiphanis, Sosithei, Aeschyli Alexandrini, Apollonidis, Bioti, Charetis, Demonactis, Hippothoontis, Isidori, Mimnermi, Patroclis Thurii, Pompeji Macri, Scrapionis. Zopyri, Zenodoti, (Pseudo-) Thespidis,* praeterea *adespota* fere quingenta; tum non omittendam putavimus *Lycophronis* fabulam, quae inscribitur Alexandra[2]); denique *Ezechieli ἐξαγωγῆς* quae reliqua sunt pervestigare a re non rati sumus alienum. Quorum quae primo loco enumeravimus fragmenta, secundum editionem laudabimus A. Nauckii, qui anno 1856 tragicorum Graecorum reliquias collegit, disposuit, criticis adnotationibus instruxit. In versibus Lycophronis afferendis sequemur editionem L. Bachmanni, quae Lipsiae prodiit a. 1830, Ezechieli versus ex recognitione Dübneri citabimus, quae addita est Wagneri editioni fragmentorum Euripidis (Parisiis 1846).

Caput primum.

De tribrachis, qui reperiuntur in tragicorum minorum senariis.

§ 1.

De tribrachis in prima trimetri sede admissis.

1. Quod observavimus apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem (cfr. *de pedibus solutis in dial. sen.* §§ 2, 7, 12) longe plurimis locis tribrachos effici integrorum syllabis vocabulorum, raro atque quo tempore metri securiores in fabulis condendis facti esse videantur poetae, admitti duobus tribusve vocabulis conformatos, idem obviam fit in fragmentis tragicorum minorum luculentissime. Novem locis voces trisyllabae efficiunt tribrachyn in trimetri initio: Phrynich. frgm. 5, 3 *(παιδία)*, Achaei 3, 1 *(πότερα)*, adesp. 57, 2 *(μεγάλα)*, 107, 1 *(ἄπολις)*, 450, 3 *(σφαλερός)*, Ezech. 30 *(ὄνομα)*, et in fabulis satyricis Python. 1, 12 *(ἰχανόν)*, Lycophr. 2, 2 *(ἴδαρες)*, 2, 3

[1]) patris et filii, de quibus cfr. *Welcker*, „die griech. Trag." pg. 1052 sqq., *Kayser*, hist. trag. Gr. pg. 65 sqq., *Sauppe*, comment. de collegio artificum scenicorum attic. (ind. schol. acad. Gotting. 1876), pg. 6.

[2]) hoc nomen ei tribuendum esse, non Cassandrae recte demonstravit Bachmannus (annot. crit. in edit. Lycophr. pg. 9). Cfr. *Bernhardy*, „Grundriss der griech. Litteratur", II, 2, pg. 717 (edit. III).

Digitized by Google

(*ἀτρέμα*).[1]) Praeterea in frgm. adesp. 463, quod servavit Stob. (floril. 108, 83): „*σὺ δ' ὦ τεκοῦσα, μὴ τὴν σὴν λιβάσι κατάσπενδε παρηίδα*" Meinekius senarium invenisse sibi visus proposuit

„. . . *σὺ δ' ὦ τεκοῦσα, μή τι σήν*
λιβάσι κατάσπενδ' * * * *παρηίδα*",

ut efficiatur tribrachys primo alterius versus vocabulo trisyllabo. Quam versus construendi rationem fundamento niti maxime infirmo, quivis, opinor, intelligit.

Ceterum his quoque locis quod in disputatione de ped. sol. apud Aesch., Soph., Eurip. observavimus pg. 44, aperte confirmatur, plerasque primi pedis solutiones ita esse comparatas, ut in vocabulis, quae efficiant tribrachos, aut coeant duae vocales (ut in v. *πεδία*), aut liquidae medium teneant inter eas locum, quarum pronuntiatione leviores fieri et expeditiores nemo non videt solutiones.

2. Duobus efficitur locis solutio longioris initio vocabuli, Dicaeogen. dico frgm. 2, 1 (*μακάριος*) et in fab. sat. Lycophr. 4, 2 (*κατέλαβεν*.)[2]) Quod modo de leviori syllabarum, quae tribrachyn efficiant pronuntiatione diximus, idem his locis videmus valere.

3. Quod Aeschylus nusquam, Sophocles et Euripides tum demum, quum securiores facti sunt artis metricae, saepius fecerunt, ut in primo trimetri pede tribrachyn admitterent ex duobus tribusve vocabulis compositum, id rarissime usu venit in minorum tragicorum fragmentis. Semel efficitur tribrachys monosyllabo vocabulo et bisyllabo, adesp. 452, 1 (*τὸ νέον*), semel monosyllabo et prioribus ejus, quod sequitur, syllabis, adesp. 462, 1 (*τὰ μεγάλα*).[3]) Utroque loco vocabula arctissime inter sese cohaerere facile perspicitur. — Praeterea semel e bisyllabo vocabulo et monosyllabo componitur tribrachys in fab. satyr. Python. 1, 11 (*ὅτε μέν*), cujus solutionis minime eleganter conformatae duo apud Euripidem inveniuntur exempla, nullum apud Aeschylum aut Sophoclem (cfr. *de ped. sol.* § 12, 6).

4. Omnium negligentissime atque inaudita prorsus ad id tempus ratione primum senarii pedem solvit in tribrachyn Ezechielus, qui v. 178 scripsit „*τετρὰς ἐπιλάμψει*".[4]) Quam quidem lectionem cave ne falsam judices, quum quantum sibi indulserit licentiae Judaeus iste in metris tractandis, identidem comprobetur fabulae ejus reliquiis.

§ 2.

De tribrachis in altera senarii sede adhibitis.

1. Exemplis collectis quotquot exstant apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem docuimus (*de ped. sol.* § 17, 3), in altera, tertia, quarta senarii sede longe frequentissimam esse eam tribrachi formam, ut thesis exprimatur ultima vocabuli syllaba (vel monosyllabo, quod arctissime cohaeret cum proximo), arsis soluta duabus ejus, quod sequitur. Quae observatio minorum tragicorum fragmentis optime confirmatur, quum sexaginta pedis alterius in tribrachyn soluti exemplorum novem et quadraginta versus illam praebeant rationem solvendi.

Ac primum quidem extrema vocabuli syllaba et prioribus ejus, quod sequitur, efficiuntur tribrachi in Agathon. frgm. 4, 4 (*ἔπειτα τριόδους*), Chaerem. 1, 7 (*ξουθοῖσιν ἀνέμοις*), 14, 17

---

[1]) nisi dactylum hoc vocabulo effici putare mavis.

[2]) adesp. frgm. 137, 2 vocabulo *διπλάσιος* dactylum effici in prima senarii sede sumere malim.

[3]) In versum 4, qui in libris Stobaei perverse scriptus exstat „*ὃ περιέστρεψεν*", ut metri vitium removerent, eandem intulere solutionem nonnulli viri docti, legendum esse rati „*ὃ περιέτρεψεν*". Magis placet, quod proposuit Nauckius „*ὅπερ διέστεψ' ἤ*". . . .

[4]) nisi quis dactylum his vocabulis effici in prima sede mavult.

Digitized by Google

(*λειμῶσι μαλακοῖς*), 15, 1 (*γέλωτα, σοφίαν*), Carcin. 5, 2 (*Πλούτωνα κριτήν*), Theodect. 6, 5 (*ἔπειτα τριόδους*), Crat. 2, 3 (*πάντες ἐπιθυμοῦμεν*), porro Python. 1, 18 (fab. satyr.), Cleaenet. 2, 2, Apollonid. 2, 1, adesp. 85, 2; 85, 3; 89, 1; 140, 1; 157, 1; 305, 1; 414, 1; denique Ezech. v. 17, 19, 37, 55, 111, 174, 177, 202, 252.

Deinde haud multo minor est tribrachorum numerus, quorum primum tempus efficiatur voce monosyllaba. Quos locos si spectamus, minime nos fugit, eas voces plerumque esse particulas aretissime conjungendas cum voce, quae antecedit, ut unius fere vocabuli instar positae esse vel pronuntiatae saltem videantur. Ita efficit thesin particula *τε* sex locis: Jon. frgm. 23, 1 (fab. satyr.), Agathon. 4, v. 2 et 5, Chaerem. 14, 13 et 17, 2, Eezech. 249; particula *δέ* quindecim locis: Critiae frgm. 5, 1, Chaerem. 14, 16, Theodect. 6, 3, adesp. 68, 4; 262, 2; 378, 1; 435, 1; 462, 11; Lycophr. Alex. 874 et 1204; Ezech. v. 28, 56, 64, 149, 161; particula *μέν* Carcin. 4, 1; *γάρ* Theodect. 13, 1[1]).

Duo inveniuntur laesae ejus regulae exempla, adesp. frgm. 479, 1, ubi legitur „*καθ' ἑτέρου*“, et Ezech. 167 („*ἐς ἅδιον*“), in quibus quidem non magnopere hacrebis, si jam apud Sophoclem nonnullas, complures apud Euripidem obviam fieri ejusmodi solutiones memineris (cfr. *de pcd. sol.* § 8, 4 et § 13, 4.)

2. Quum parum inde fiat elegans versus incisio, cur rarissime reperiantur solutiones alterius pedis vocabulis trisyllabis vel initio tetrasyllaborum conformatae, facile est ad intelligendum. Cujus modi tribrachos ab Aeschylo fere ubique vitatos esse, raro adhibitos a Sophocle, saepius in iis demum Euripidis fabulis inveniri, quae majore metri tractandi incuria compositae videntur, fusius exposuimus *de pcd. sol.* §§ 3, 8, 13. Neque minorum tragicorum versus superstites magnum earum solutionum praebent numerum. Semel enim trisyllabo vocabulo efficitur tribrachys in Pythonis fab. satyr., cujus fragmentum servavit Athen. XIII, pg. 595 F., v. 13 (*καὶ τὸν μάραθον ἐάφονα*); sexies in tetrasyllabis soluta est altera arsis: Astydam. 7, 1 (*γλώσσης περίτματος*), Chaerem. 4, 1 (*Πενθεὺς ἐσμένης*), Dionys. 8, 1 (*λιτὸς γενόμενος*)[1]), adesp. 156, 1 (*τιμᾶν Μακεδόνων*)[2]), 426, 2 (*τὰ δ' ἄλλ' ὀνόματα*), Ezech. 121 (*βάρδον τετραπόδων*).

3. Minus etiam elegans atque jucunda, quam quas modo attulimus, occurrit solutio alterius pedis in Theodect. frgm. 8, 5 (*πολλοὶ διὰ φόβον*), ita conformata, ut priora tempora expressa sint voce bisyllaba, tertium efficiat initium vocabuli, quod sequitur. Neque tamen in ea offendendum, quum praepositio illa cum substantivo arete cohaereat, ut similis sit haec solvendi pedis ratio solutionibus s. 2. enumeratis. Quid quod Euripides in fabularum dialogis ter (Jon. 931, Iphig. Aul. 1164, Bacch. 940) admisit eandem formam?

4. Monosyllabo vocabulo et bisyllabo duobus locis effecta est solutio alterius pedis, Agathon. 4, 6 (*ὅπερ δὲ τρίτον*) et Theodect. 14, 1 (*γονέων τὰ τέκνα*), qualis solvendi ratio, neque ab Aeschylo neque a Sophocle umquam admissa, undecies obviam fit in Euripidis fabulis deterioris notae (cfr. *de pcd. sol.* § 13, 8).

5. Semel (in Aristarch. frgm. 2, 4 „*οὗτος γὰρ ὁ Ζεύς*“[4]) alter pes ita solutus est, ut priora tribrachi tempora, thesin dico prioremque arsis solutae syllabam, expressa sint vocabulis mono-

[1]) quem locum Meinekius (com. Graec. frgm. IV, pg. 691), nescio qua causa commotus, comoediae cujusdam esse versum censet, addens quidem: „non repugnabo tamen, si quis h. l. Theodectae nomen inebitur.“

[2]) Meinekius (frgm. com. Graec. III, pg. 555) comico cuidam poetae tribuit hunc versum.

[3]) qui locus Nauckio neque sanus esse nec veteris poetae videtur.

[4]) Euripidi tribuit h. v. Arsenius pg. 419, 17.

Digitized by Google

syllabis, tertium incipiat verbum, quod sequitur. Quo loco quum particula arctius jungenda sit cum vocabulo antecedente, articulus cum substantivo, quod sequitur, non ita magnam praebet offensionem solutio. Eodem tribrachyn modo conformatum semel admisit Sophocles (Trach. 4), aliquot locis Euripides (cfr. *de ped. sol.* § 13, 5.)

§ 3.

De tribrachis in tertia senarii sede admissis.

1. Saepissime, quod supra indicavimus, trimetri pes tertius in tribrachyn ita solvitur, ut thesis efficiatur extrema vocabuli syllaba, arsis prioribus ejus, quod sequitur. Quindecim praesto sunt loci e fragmentis tragicorum minorum petiti: Achaei frgm. 14, 1 (fab. satyr.) „*τάχιστα μέλανα*", Critiae 1, 31, Dicaeogen. 4, 2, Dionys. 4, 1, Theodect. 2, 2 et 6, 6; Crat. 2, 2, Lycophr. 2, 4 (fab. satyr.), Apollonid. 1, 3, adesp. 152, 1 et 396, 1 [1]); denique afferendi sunt versus Lycophr. Alex. 1164, Ezech. 31, 133, 181 (quo loco legitur „*ποσσὶν ὑποδέδεσθε*", quae verba num prorsus sana sint dubium mihi videtur).

2. Non multum distare ab hac solutionis forma, si thesis efficiatur vocabulo monosyllabo, quod arctissime cohaereat atque conjungendum sit cum antecedente, saepius commemoravimus. Itaque non est, cur offendamus in Diogen. Athen. frgm. 1, 1 „*καίτοι κλύω μὲν Ἀσιάδος*" [2]), Sosith. 2, 16 „*ἐπιστατῶν δὲ πεδία*" [3]), Ezech. 10 „*οἰκοδομίαις τε βαρέσιν*" . . . . Majorem vero sibi sumserunt licentiam Aristarchus, scribens (frgm. 2, 5) „*τίθησι καὶ τὸν ἄπορον*", quum articulus non cum antecedente cohaereat vocabulo, sed cum eo, quod sequitur, et, si quidem Meinekio assentimur (exercitt. in Athen. spec. II, pg. 7), auctor versus, quem Athen. memoriae prodidit (IV, pg. 150 C) „*κακὸν κακῶς σέγ' ἀπολέσειαν οἱ θεοί*" (cfr. Dem. de cor. § 267). Cujus licentiae, qua et Aeschyli et Sophoclis fabulae prorsus vacant, plura praebent Euripidis tragoediae exempla (cfr. *de ped. sol.* § 14, 3).

3. Accedunt quodam modo ad hanc solutionis formam tribrachi ita compositi, ut thesin efficiat extrema vocabuli syllaba, arsin monosyllabum et initium ejus, quod sequitur, dummodo vocabulum illud monosyllabum arcte cohaereat cum proximo. Ejusmodi solutiones reperiuntur in Neophr. frgm. 2, 15 (. . *διαφθεροῦσα τὸν ἐμόν* . .) et in Ezech. v. 236 (*αὐτοῖς ἀρωγὸς ὁ θεός* . .).

4. Haud ita multum differt Python. frgm. 1, 1 (fab. satyr.): „*ἔστιν δ' ὅπου μὲν ὁ κάλαμος*", quo in versu priora tribrachi tempora vocabulis monosyllabis, quorum alterum cum eo, quod antecedit, alterum cum sequente arctissime conjungendum est, tertium tempus prima vocabuli, quod sequitur, syllaba efficitur. Qua solutionis forma Aeschyli et Sophoclis fabulae prorsus vacare videntur [4]), Euripidem novies usum esse docuimus l. l. § 14, 5.

5. Tribus locis arsis conformata est vocabulo bisyllabo, thesis ejus, quod antecedit, fine: (Pseudo-) Thespidis frgm. 1, 1 [5]) „*ἔργῳ νόμιζε νεβρίδ' ἔχειν*", adesp. 85, 3 „*ἐκεῖθεν ἔλαβες,*

---

[1]) si sequimur Nauckium, qui ex meo quidem judicio rectissime scribendum censuit „*θεοῦ θέλοντος ἀνυτὰ πάντα γίγνεται*", quum codices Stobaei, qui eum versum servavit (ecl. I, 2, 13, pg. 34), post „*θέλοντος*" praebeant praepositionem *μετά*, quam propter metrum ferri non posse apparet.

[2]) quo loco Meinekius Dalecampium secutus scripsit „*Ἀσιάδας*".

[3]) ita enim cum Hermanno legendum videtur pro librorum scriptura „*οἴδηα*", quam audacius, opinor, quam rectius mutavit Nauckius proponens „*ἔπειτ' ἄγων εἰς λῇα*".

[4]) legitur quidem in Soph. Phil. v. 1314 (cujus loci in disputatione mea rationem non habui) in plerisque editionibus „*ἥσθην πατέρα τε τὸν ἐμόν*", sed quum desit particula in cod. Laur. A, rectissime jam Triclinius emendavisse videtur hunc versum, scribens *ἀμόν* pro *ἐμόν*.

[5]) quod Heraclidis Pontici esse fragmentum jure censuit Nauckius, respectu habito Diog. Laert. V, 92 „*φησὶ δ' Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ τραγῳδίας αὐτὸν* (Heraclidem) *ποιεῖν καὶ Θέσπιδος αὐτὰς ἐπιγράφειν.*"

Digitized by Google

ὅθεν" . . ., 339, 1 „φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμήν", quibus locis arsin bisyllabam bis elisione, semel verborum nexu atque sententia arctissime cum vocabulo, quod sequitur, esse conjunctam nemo non videt.

6. Duo inveniuntur apud Ezechielum exempla tribrachi ita soluti, ut primum tempus vocabulo monosyllabo, alterum et tertium bisyllabo efficiantur: v. 48 „τῇ 'παύριον δὲ πάλιν ἰδών" et 163 „λαῷ, γυνή τε παρὰ γυναικός." Si consentimus cum Meinekio, etiam Chaeremonem hanc solutionis formam adhibuisse putandum est (frgm. 42). Eruit enim ex verbis a Cocondrio traditis (Walz. rhett. Graec. VIII, pg. 789) „ἔαρος ἡ νύμφη τέκνον τι μετὰ θέρους ἐς ὕστερον, ἐν χειμῶνι δ' οἴχεται σὺν τῷ ἀνέμῳ κεκαρμένη" trimetros hunc in modum constructos:

„. . . εἴαρος
νύμφη τεκτοῖ τι μέγα θέρους, εἶθ' ὕστερον
χειμῶνος οἰχνεῖ συντόμως κεκαρμένη".

At quis ejusmodi verborum conglutinationem violentissimam accedere ad veritatem sibi persuaserit? Aliam ingressus est viam emendandi haec verba Schneidewinus (Philol. III, pg. 125), verisimile esse ratus Chaeremonem scripsisse:

„ἔαρος ἡ νύμφη τεκνοῦται τοῦ θέρους ἐς ὕστερον
ἐν δὲ χειμῶν' οἴχεται σὺν τἀνέμῳ κεκαρμένη",

ut exoriantur tetrametri trochaici. Ipse persuasum habens, heroicis versibus compositum fuisse hunc griphum non secus ac Theodect. frgm. 18, frustra laborem consumi putaverim in resarciendis his laciniis et sensu et metro manifesto cassis.

7. Unum praebet Ezechielus exemplum tribrachi ita conformati, ut primum tempus ultima vocis syllaba, alterum et tertium efficiantur duobus vocabulis monosyllabis, quae arctissime inter se cohaerent, v. 89 „ὄψει τά τ' ὄντα τά τε προτοῦ", cujus solutionis jam apud Euripidem aliquot reperiuntur exempla (cfr. *de ped. sol.* § 14, 6).

8. Contra singularis omnino ac minime elegans est solutionis forma in Ezech. v. 54 „ἔλεξα, πῶς ἐγένετο", ut tribrachys contineatur vocabulo plus tribus syllabis habente, qualis solutio nusquam alias invenitur apud tragicos Graecos, quum legibus rhythmicis, quae dicuntur, prorsus adversetur (cfr. Enger. in Mus. Rhen. XI, pg. 447, 448).

9. Haud minus insolita ratione conformata est solutio, obstans et ipsa rhythmorum legibus ac naturae, quam legimus in Ezech. v. 212 „. . . φωνὴν, πρὸς αἰθέρα τ' ἐτάθησαν ἀθρόοι." Cave tamen credas, emendatione egere illum versum, quando quidem incuriosissimum fuisse in metris tractandis auctorem illum Judaeum et inaudita ad id tempus complura novare esse ausum multis tragoediae ejus locis comprobatur certissime.

§ 4.

De tribrachis in quarta senarii sede admissis.

1. Haud secus atque in altera et tertia sede senarii observavimus, quarti pedis soluti plurima exempla ita sunt comparata, ut thesis concludat vocabulum, arsin efficiat initium ejus, quod sequitur. Quem in numerum referendi sunt loci Aristiae frgm. 4 (fab. satyr.) „οἶνον ἐπιχέας", Achaei 7, 2 (fab. satyr.), Agathon. 21, 1, Diogen. Athen. 1, 11, Chaerem. 5, 1; 14, 12; 17, 2; 34, 1, Carcin. 1, 1; 4, 2; 5, 6; Theodect. 6, 2; Crat. 2, 4; Moschion. 12, 1;[1]) Philisc. 1, 2;[2])

[1]) quem versum Meinekius Moschionis non esse e metro conclusit, qua de re infra uberius disserendum.

[2]) si quidem suo jure Grotius Philisco tragico tribuit hos versus, quos Φιλήμονος ἐν Παλαμήδει esse tradidit Stob. (floril. 9, 21). Grotio assensus est Meinekius (frgm. com. Graec. IV, pg. 17).

Digitized by Google

adesp. 56, 1 et 2; 57, 3; 262, 1; 290, 1; 303, 1; 334, 1; 401, 1; 437, 2; tum Lycophr. Alex. 520, 700, 1046 (quibus locis nominum propriorum initio efficitur tribrachys), praeterea v. 941; denique Ezech. 29, 153, 166, 180.

2. Pertinet quodam modo, quod saepius jam indicavimus, ad solutiones modo enumeratas id tribrachorum genus, quorum thesis efficiatur vocabulo monosyllabo, quod arctissime cohaereat cum antecedente. Cujus solutionis invenimus duo exempla: Chaerem. 7, 1 „*κασσῷ τε ναρκίσσῳ τε τριέλικας κίνλῳ*“, et adesp. 79, 1 „*οὐκ ἀξιῶ μικρῶν σε, μεγάλα δ' οὐκ ἔχω*“, quae nihil offensionis praebent, quippe in quibus encliticae *τε*, *σε* tamquam ultimae verborum antecedentium syllabae recitandae videantur. Quibus negligentiore modo compositus est tribrachys in Astydam. 3, 4[1]) „*ἦν, δύο δὲ χρυσᾶ, γρύψ, τὸ δ' ἕτερον Πήγασος*“, quo loco vocabulum monosyllabum non cum antecedente, sed cum eo, quod sequitur, arctius esse conjungendum apparet. Cujus modi tribrachorum aliquot exempla suppeditant Euripidis fabulae deterioris notae (cfr. *de ped. sol.* § 15, 4).

3. Tribrachi arsis vocabulo bisyllabo expressa est, thesis antecedentis fine in Astydam. frgm. 3, v. 2 „*. . . πεντήκοντα, δέκα δὲ . . .*“, Theodect. 2, 4 „*ἔκρινεν, ἐμὲ δὲ . . .*, Ezech. 7 „*γένναν ἄλλις . . .*“ Quae exempla accuratius spectantes nos non fugit, solutionibus illis confirmari, quod in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis versibus observasse nobis videmur, vocabula bisyllaba quae arsin efficiant, ita esse comparata, ut aut liquida pronuntiatione leviter profluant (id quod in Ezechieli versu occurrit) aut arcte cohaereant cum iis, quae sequuntur. Unde fieri concludendum, ut dura et parum jucunda vitetur versus incisio.

4. Arsis conformatae duobus vocabulis monosyllabis, quae et inter se et cum iis, quae sequuntur, arctius sint juncta, duo praesto sunt exempla: adesp. frgm. 141, 1 „*εἶθ' ὥφελεν τὸ κάλλος, ὅ με διώλεσε*“, et 382, 6 „*ἐτέμψαμεν βόειον· ὁ δὲ λαβὼν χερί.*“

5. Cujus solutionis et Sophoclis et Euripidis tragoediae complura praebent exempla, ut primum tribrachi tempus expressum sit syllaba vocabuli finali, alterum monosyllabo, tertium initio ejus, quod sequitur, ea legitur in Jon. frgm. 56, 1 „*. . . . λυπρὸς ὅ τ' ἀπιών*“, Achaei 42, 1 „*δεινὰ· σὺ δ' ὑγίαινε*“, Lycophr. 2, 3 (fab. satyr.) „*παρεξεστηκὸς· ὅ τ' ἀλιτήριος . . .*“ Quibus locis arctissimam inesse verborum conjunctionem neminem, opinor, fugiet.

6. Semel invenitur in quarta senarii sede tribrachys tetrasyllabi conformatus vocabuli fine, Ezech. 150 „*πλὴν τέκνον αὐτῷ πρωτόγονον ἕξει νεκρόν*“, quae pedis solvendi ratio etsi nescio quid injucundi praebet, tamen vel exemplis e versibus poetarum tragoediae principum petitis satis firmata videtur (cfr. *de ped. sol.* § 5, 1; § 10, 1; § 15, 2).[2])

§ 5.

De tribrachis in quinta senarii sede admissis.

1. Quintum trimetri pedem, ne numerus iambicus nimis deminueretur, omnium rarissime ab Aeschylo, Sophocle, Euripide esse solutum, quum l. l. luculentissime comprobaverimus cunctis ejus modi versibus collectis, non mirum videtur, quod quinque tantum sexve ejus solutionis exempla, ac ne ea quidem prorsus certa et indubitata, exhibent tragicorum minorum fragmenta. Quo-

[1]) quod fabulae esse satyricae fragmentum recte judicavit Friebelius (satyrogr. Graec. frgm. pg. 75)

[2]) Missum facio versiculum quendam laceram, qui Philocli tribuitur ab Athen. (II, pg. 66, B)

„. . . . οὐδ' ἂν ἐγκέφαλον ἑσθων λίτοι“,

(Eustath., qui ad Iliad. pg. 756, 46 eadem commemoravit verba, praebet „*ἐγκεφάλων*“), non esse operae pretium ratus, diligentius quo modo scribendus sit ille versus perquirere, quum parum certa praesto sint subsidia ad eum restituendum.

Digitized by Google

rum tria utique ita sunt comparata, ut arsis soluta vocabuli initio, thesis efficiatur antecedentis fine, quam solutionis formam quum in ceteris trimetri pedibus, tum in quinta sede longe frequentissimam esse identidem monuimus. Reperiuntur illi loci in Lycophr. frgm. 2, 1 (fab. sat.) „ . . . ἀλλὰ κυλίκιον“, Ezech. 23 „προςδραμοῦσα βασιλίδι“, 41 „τέχνασμα βασιλέως.“ Quibus locis nescio an addendi sint versus Chaerem. frgm. 1, 2, si quidem assentimur G. Hermanno, qui ad explendam verborum lacunam scribendum proposuit: „στίλβοντα λευκοχρώματ' ἄρθρα διαπρεπῆ“ [1]) et adesp. 87, 4,[2]) ubi rectissime, nisi omnia me fallunt, legendum esse vidit Nauckius „ . . . οὐδ' εἰ δεσμὰ πάντα περιβάλοις“ pro codicum scriptura et sensu et metro aperte cassa „πάντα προβάλοις.“

2. Non minus verisimili videtur conjectura a Porsono et Jacobsio illata esse quinti pedis solutio in Python. fabulae satyr. fragmentum, quod servatum ad nostram memoriam legimus apud Athen. (XIII, pg. 595 F. sqq.). V. 12 in libris exstat scriptus: „ἱκανὸν ἐδείπνουν · νῦν δὲ τὸν χεδρώπαν ὠμόν“, quae lectio quominus sana habeatur, impediunt metricae leges doctrinae. Qua re proposuerunt viri illi doctissimi pro verbis manifesto corruptis esse scribendum „ . . τὸν χέδροπα μόνον“, ut in quinta evadat sede tribrachys trisyllaba voce formatus. Quae solutio etsi duri quid habet et absoni, tamen quum in fabularum versibus satyricarum multifariam neglectas esse constet regulas a tragoediarum auctoribus diligentissime observatas, non respuenda nobis videtur, praesertim quum Cyclops fabula Euripidis exemplum suppeditet tribrachi in quinta trimetri sede eadem omnino ratione conformati (v. 597 „τὸν πατέρα παθεῖν“). Quid quod ne Sophoclis quidem fabulae prorsus vacant ejusmodi solutione (Ai. 459, O. R. 1496), quamquam utroque loco syllabarum liquida pronuntiatione solutionis insuavitatem leniri quodammodo haud negandum. Accedit quod h. l., nisi fallor, non sine consilio Python trisyllaba verba tria deinceps ita collocavit, ut ictus, quem dicunt, in alteram tribrachi caderet syllabam:

„ἱκά̄νὸν ἐδείπνουν · νῦν δὲ τὸν χέδρό̄πα μόνον,
καὶ τὸν μάρά̄θον ἔσθουσι“ κτλ.

Caput alterum.

De dactylorum usu in tragicorum minorum senariis.

---

§ 6.

De dactylis in prima senarii sede admissis.

1. Prioribus integri vocabuli syllabis efficiuntur dactyli in senariorum initio Jon. frgm. 18,1 „Εὐβοΐδα“, Agathon. 15, 1 „ἐκφέρετε“, Moschion. 11, 5 „ἡμέτερον“ [3]), Philisc. 1, 2 „ἀθάνατος“ [4]),

---

[1]) ἀμέτρως tradunt Athen. libri (XIII, pg. 608 D): „στίλβοντα λευκῷ χρώματι διαπρεπῆ.“

[2]) quod fragmentum servavit Clem. Alexandr. strom. IV, 585.

[3]) quem versum Meinekius propter solutionem admissam poetae prorsus abjudicandum censuit; qua de re cfr. § 12, 2.

[4]) cfr. quae supra diximus § 4, 1, ann. 2.

Digitized by Google

adesp. 54, 1 „*ἀθάνατον*“, 137, 2 „*διπλάσιος*“[1]), 411, 3 „*δαιμόνιον*“, 462, 10 „*ἐνπεριπάλλπτον*“; praeterea Ezech. 10 „*οἰκοδομίαις*“, 11 et 174 „*πάρσενικά*“, 62 „*Αἰθίοπος*“, 148 „*πρωτόγονα*“.

2. Vocabula trisyllaba efficiunt dactylum tribus locis: Theodect. 2, 1 „*μητέρα*“ 10, 2 „*ἥλιε*“, Pompej. Macr. 1, 3 „*μητέρα*“, quas solutiones levi syllabarum pronuntiatione fere omnino tolli, ne obiter quidem spectantem versuum initia fugere potest.

3. Plura suppeditant minorum tragicorum versus exempla dactylorum in prima senarii sede ita conformatorum, ut thesis (longam dico dactyli syllabam) efficiatur vocabulo monosyllabo, arsis soluta bisyllabo. Quam quidem pedis solvendi rationem ab Aeschylo prorsus spretam, bis tantum, idque in Philocteta fabula, admissam a Sophocle, frequentius demum obviam fieri in Euripidis tragoediis docuimus in comment. de ped. sol. pg. 98. Legitur haec solutio in Critiae frgm. 1, 1 „*ἦν χρόνος*“, 1, 2 „*ὁ χρόνος*“[2]), Astydam. 3, 4 „*ἦν δύο*“, Antiph. 2, 1 „*οὐχ ἵνα*“, Dionys. 6, 1 „*ἦ λέγε*“, Mosch. 12, 2 „*ὃς διά*“[3]), adesp. 92, 1 „*κἄν σοφός*“; denique Ezech. 83 „*ὦ ξένε*“, 142 „*σὺν πνρί*“, 151 „*καὶ τότε.*“ Quibus locis ne cohaerere quidem ubique inter sese vocabula, quae dactylum efficiant, facile perspicitur.

4. Neque desunt loci, quibus dactylus in prima trimetri sede vocabulo monosyllabo ejusque, quod sequitur, initio conformetur. Legimus enim in Aristarch. frgm. 3, 1 „*ὦ θάνατε*“, Crit. 1, 40 „*τὴν ἐνομίαν*“, Astydam. 8, 4 „*ἓν δ' ἑκατόν.*“[4]) Praeterea adesp. 109, 1 „*ὡς Ἡμιμάσσαν*“ et Ezech. 125 „*ὡς φοβερός*“ praebent trimetrorum initia, quae ideo magis insolita videntur, quod vocabula non tam arcte conjuncta sunt inter sese, quam in ceteris ejus solutionis exemplis.

5. Multo minus esse numerosam versuum compositionem, quales leguntur in adesp. frgm. 462, 2 „*καὶ τὸ πάντ*“ et 6 „*ἡ δὲ μεσότης*“, ipsa rhythmorum ratio docet. Nec tamen in ea primi pedis solutione offendendum putaverim, quum jam Euripidis fabulae detrioris quidem stili, si metrorum respicimus artem, complura suppeditent ejusmodi dactylorum exempla (cfr. *de ped. sol.* § 23, 5).

6. Negligentiore etiam modo conformati reperiuntur versus in Ezechieli fabula, qui ad eam progressus est licentiam, ut dactylum in senarii initio efficeret bisyllabo vocabulo et monosyllabo. Legitur in v. 85 „*ἐξιά γε . . .*“, quo quidem loco quod tam arcte cohaerent vocabula, ut unius fere instar pronuntientur, excusationem quandam afferri forsan quis dixerit. Quid vero quod unum praebet eadem fabula versus initium, quod omnium negligentissime, si rhythmorum respexeris leges atque naturam, compositum esse sine ullo negotio intelliges, v. dico 169, ubi legitur „*ἑπτὰ διοδοπορεύντες*“[5]). Neque tamen ut credam hunc versum ita, ut scriptus exstat in libris, ab Ezechielo non profectum esse adducar, quum jam Euripides in duabus fabulis, summa quidem metri incuria conditis, singula praebeat pedis ita soluti exempla (Bacch. 285, Or. 2, cfr. *de ped. sol.* § 23, 8).

---

[1]) nisi h. l. solutionem primi pedis pro tribracho habere mavis.

[2]) quibus verbis possis quidem sumere tribrachyn effici.

[3]) cfr. pg. 21.

[4]) si quidem sequimur Coningtonium, verbis apud Stobaeum, qui servavit hoc Astydamantis frgm. (floril. 86, 3), gravi corruptela traditis mederi conatum. Legitur enim in libris *ἐμέτρως* prorsus: „*ἕνεκα τῶν ἐστὶν εὑρεῖν ἀνδρὶ ἕνα*“ vel „*ἓν' ἄνδρα τοὺτων ἐστὶν εὑρεῖν διαχρεές*“, unde versum extorsit vir ille doctissimus, violenta quidem usus medicina „*ἓν δ' ἑκατὸν εὑρεῖν ἀνδὶ ἓν' ἐστὶ διαχρεές*“ (Personus proposuerat „*ἓν ἑκατόν*“). Cui conjecturae metrum nequaquam obstare, ex iis, quae supra attulimus, ejus solutionis exemplis facile intelligis.

[5]) de v. 178 cfr. quae supra diximus § 1, 4.

Digitized by Google

§ 7.

De dactylis in tertia senarii sede adhibitis.

1. Quod observasse nobis videmur ratione habita senariorum, qui leguntur in fabulis triumvirorum Graecae tragoediae principum, solutionum, quotquot usurpatae sint a tragicis, longe frequentissime obviam fieri dactylos in tertia versus sede[1]), id luculentissime confirmatur minorum si spectamus tragicorum fragmenta. Atque harum quidem solutionum usitatissima ea est forma, ut longam efficiat extrema vocabuli syllaba, breves initium ejus, quod sequitur. Legimus ejus modi dactylos in Jon. frgm. 2,1 „ἀπέστω θάνατος", 60, 1; 63, 2; Agathon. 4, 4; Diogen. Athen. 1, 10; Chaerem. 1, 7; 8, 1; 13, 2; 14, 2, 3, 9[2]); 15, 1; 17, 1; Dionys. 2, 2 et 3; Carcin. 5, 9; Theodect. 6, 2 et 5; 8, 3; 9, 2; adesp. 5, 1; 87, 3[3]); 88, 2 et 4; 107, 1; 137, 1; 239, 3; 281, 2; 303, 1; 322, 1; 330, 1; 331, 1; 340, 1; 344, 1; 369, 1; 378, 2; 412, 3; 420, 1; 444, 1; 457, 1; 458, 3; 479, 1; tum Lycophr. Alex. 263, 962, 963, 1218, 1222, 1242, 1469[4]); denique Ezech. 11, 17, 19, 28, 33, 40, 62, 75, 115, 118, 123, 130, 143, 155, 162, 168, 176, 178, 187.

Praeterea nomina propria efficiunt dactylos hac ratione conformatos Diogen. Athen. 1, 7; Chaerem. 12, 1; Antiph. 2, 2; Lycophr. Alex. 652, 680, 920, 930, 1288.

Neque dubitandum, quin Achaeus ea tertii pedis solutione usus sit in Philoct. fabula (frgm. 35, 4) „ὥρα ταχύνειν, ἐλελελεῦ, quod Toupius restituit pro ἐλελεῦ, ut vulgo ἀμέτρως scribebatur. Denique si Herwerdenio assentimur, in Crit. frgm. 1, 35 legendum est „λαμπρὸς διάπυρος", ut pes tertius solvatur in dactylum, pro codicum scriptura „λαμπρὸς ἀστέρος" (Nauckius proposuerat „ἡλίου"): qua de re certum judicium ferre supersedemus.

2. Multo rarius invenitur in tragicorum minorum senariis solutio tertii pedis ita conformata, ut thesis efficiatur voce monosyllaba, arsis prioribus vocabuli, quod sequitur, syllabis. Quod non ubique monosyllabum illud arcte cohaeret cum vocabulo, quod antecedit, ea in re minime haerebis, si a Sophocle saepius, saepissime ab Euripide regulam, quam Aeschylus secutus est diligentissime, violatam esse memineris. Huc referendi sunt versus Chaerem. frgm. 20, 1 „τὸ τῆς τύχης τοι μεταβολὰς πολλὰς ἔχει" 26, 1 „πρὶν γὰρ φρονεῖν εὖ καταφρονεῖν ἐπίστασαι"[5]), 34, 1 „γένοιτό μοι τὰς χάριτας ἀποδοῦναι πατρί"[6]), Mosch. 12, 2 „ὃς διὰ τέλους ζῶν ὁμαλὸν ἤσκησεν βίον"[7]), adesp. 346, 4 „οἶνος· φέρων δὲ στέφανον ἀμφέθηκέ τις"[8]). Denique nomine proprio

---

[1]) v. *de ped. sol.* § 18, § 25.

[2]) quo in versu ἀμέτρως scriptum exstat in aliis codd. „χλανίδων" pro „χλανιδίων".

[3]) quo loco scriptum est in libris Clem. Alex., qui hoc servavit fragmentum poetae cujusdam tragici (strom. IV, 585): „δεινοὺς καθιεὶς πρίονας εἰς ἄκρους πόδας". Non necessaria videtur Porsoni, qui hunc versum respexit in annot. ad Eur. Med. 5, conjectura „δεινὸν καθιεὶς πρίον' εἰς . . ." Licet enim antiquioris temporis poetae, si quando adhibuerunt illam vocem, syllabam ejus priorem semper productam usurparint, apud recentiores tamen scriptores haud raro corripitur vocalis ι (cfr. Nicand. Ther. 52, Leonid. Tar. in Anthol. VI, 204,2 πρῖονώδης apud Meleagr. in Anthol. Pal. VII, 196, 3).

[4]) cfr. de his versibus quae infra dicta sunt § 12, 2.

[5]) si quidem consentimus cum Gaisfordio. Nauckius censuit fortasse legendum „πρὶν γὰρ φρενοῦν μ', αὐτὸς φρονεῖν ἐπίστασο", ipse proponere malim: „πρὶν καταφρονεῖν γάρ, εὖ φρονεῖν ἐπίστασο" (de particula γὰρ tertio enunciati loco posita cfr. Meinekii edit. maj. Menandri pg. 5 et indic. graecitatis in com. Graec. frgm. V, 1 s. v. γάρ, de solutione primi pedis quae supra diximus § 6, 4).

[6]) quo loco scribendum esse probabiliter proposuit Coningtonius „γένοιθ' ὁμοίας χάριτας" . . .

[7]) cfr. de eo versu quae infra dicta sunt § 12, 2.

[8]) quod fragmentum comico tribuerunt poetae Bergkius et Meinekius (l. l. IV, pg. 676), Nauckius et propter orationem et propter metrum tragico cuidam recte videtur adscripsisse.

Digitized by Google

conformatur tertii pedis solutio in Jon. frgm. 24, 3 „*ἄμεινον ἢ τὸν Πέλοπος ἐν νήσῳ τρόπον*“ (qui versus desumtus est ex *Ὑμεναίῳ* fabula satyrica).

3. Duodecim praebentur a tragicis minoribus versus, in quibus arsis dactyli *ἰαμβοειδοῖς* expressa sit vocabulo bisyllabo, thesis extrema antecedentis syllaba. Sunt loci Crit. frgm. 1, 6 „*θεᾶθαι κολαστάς, ἵνα δίκη τύφωνος ᾖ*“, Theodect. 6, 3 „*πλάτιος διὰ μέσου*“, Python. 1, 4 (fab. satyr.) „*πεύξας κατέγνω διὰ τὸ πρᾶγμ' αὐτοῦ γιγήν*“, Isidor. 1, 4 „*ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα*“, adesp. 107, 2 „*πλανήτης, βίον ἔχων*“, 220, 1 „*τί δράσω; ὀναὶ κακοῖς*“, 305, 1 „*ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἆρ' ἦσθα*“ 347, 1 „*οὐκ ἔστιν αὐτῶν μέτρον ὁ τοῦ βίου χρόνος*“[1]). Praeterea adesp. 382, cujus initium vitio inquinatum legitur apud schol. ad Soph. O. C. 1375, v. 2 scriptus exstat: „*θνατὰς γὰρ ἀπαρχὰς κρέας* (L. *γέρας*) *ἐπέμπομεν πατρί*.“ Denique Ezechieli dramatis reliquiae tria ejus solutionis suppeditant exempla: v. 8 „*δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο*“, v. 139 „*πολλοὺς κακώσει· μετὰ δέ*“ . ., 213 „*θεὸν πατρῷον, πολὺς ἔκ*“ . .“

Quae exempla si accuratius respexerimus, nos non fugiet omnia esse ita comparata, ut et liquida pronuntiatione profluant verba, et arctissimo vocabulum bisyllabum cohaereat nexu cum iis, quae sequuntur. Quod ideo observasse poetas haud absonum videtur vero, ne senarius in duas partes divideretur prorsus acqualles, unde incisio versus dura fieret ac minime elegans.

4. Ter efficitur dactyli arsis duobus vocabulis monosyllabis, thesis fine ejus, quod antecedit: frgm. adesp. 17, 1 „*χαῖρω, τὸ δέ τι*. .“ 305, 2 „*ἔσχον· σὺ δ' ἆρ' ἐδοΐλενες*.“ Ezech. 119 „*ἡμῶν, ὁ δὲ λαβών*“. Quibus addendus fortasse versus Chaerem. 24, 1, quem Hermannus scribendum censuit „*οὐχ ὡς νομίζεις τό γε φρονεῖν εἶπας κακῶς*“ (deest particula *γε* in codic. Stob., qui hoc frgm. servavit floril. III., 17), Nauckius „*νομίζεις σὺ τὸ φρονεῖν*“. Utrique conjecturae solutionem tertii pedis non obstare apparet.

5. Non minus arcta, quam conspicitur in solutionis genere modo tractato, vocabulorum conjunctione, ne inelegans oriatur versus incisio, opus esse, si quando prior dactyli brevis conformata sit vocabulo monosyllabo, altera initio sequentis, longa antecedentis fine facile intelligitur. Cujusmodi loci sunt afferendi tres: Agathon. 4, 3 „*τόξῳ τὸ τρίτον*“, adesp. 415, 2 „*ἑστὼς ὁ θεός*“, Ezch. 112 „*ἰδὼν τὸν ἐμόν*.“ Qua in solutionis forma nullo pacto haerendum quum iam Aeschylum ea quater usum esse constet (cfr. *de pcd. sol.* § 20, 6).

6. Duobus locis reperitur dactylus ita compositus, ut thesis efficiatur vocabulo monosyllabo, arsis soluta bisyllabo: Jon. frgm. 55, 2 „*ἔργον δ'ὅσον Ζεὺς μόνος ἐπίσταται θεῶν*“, et adesp. 460, 2 „*κἂν τοῖς κακοῖς δεῖ λόγον ἔχειν εὐσημίας*.“ Quorum quidem qui priore loco allatus est, lectionem praebet non satis certam,[2]) alterum num omnino tragici poetae esse versum recte iudicaverit Cobetus,[3]) cui assentitur Nauckius, in dubitationem ausim vocare. Neque enim ullam

[1]) quem versum (a Plut. Mor. pg. 1098 E servatum) non tragici esse poetae, sed Menandri conjecit Wyttenbachius, cui non adversatur Nauckius. A metro quidem rationem non esse petendam quivis facile perspicit.

[2]) cfr. Nauckii annot. crit. ad l. l.; mihi quidem veri simillima videtur lectio Olympiod., qui eosdem versus praebet in Plat Alcib. pr. pg. 201 „*ἔργον μόνος δὲ Ζεὺς ἐπίσταται θεῶν*,“ ut prorsus careat versus solutione.

[3]) Confidentius, opinor, quam verius pronuntians (Mnemos. IV, pg. 233): „Venio nunc ad tragicorum reliquias, quae Menandreis negligentia admixtae sunt. Huius generis primum esse arbitror frgm. apud Stob. floril. LXXXIX, 1:

„*τοὺς εὖ γεγονότας καὶ τεθραμμένους καλοὺς*
κἂν τοῖς κακοῖς δεῖ λόγον ἔχειν εὐσημίας“,

ubi codex optimus Paris. A „*εὖ γεγῶτας*“ servavit, ut dubitari non possit (!) quin haec tragicus dixerit, quod etiam si *γεγονότες* retinebis satis apparere arbitror.“ At qua ratione comprobetur haec opinio, non addit vir doctus.

Digitized by Google

mihi videtur attulisse causam vir ille doctissimus, cur refellenda esset Stobaei auctoritas, qui expressis verbis Menandri comici eum esse versum memoriae prodidit (floril. 89, 1). E metro quidem nullam peti posse rationem, cur tragico comicove poetae aut adscribendus sit versus aut abjudicandus, apparebit, si contuleris quae exposita sunt in disput. de ped. sol. § 20, 5. § 22, 6. § 24, 7.

7. Multo negligentiore modo, quam quae attulimus exempla, conformatum esse quivis intelligit versum Cratet. 3, 2 „ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀσθενέστερα, nec tamen ita, ut eum a tragico poeta non potuisse proficisci contendere nobis liceat. Quid enim quod Euripides bis adhibuit dactylum eadem prorsus ratione expressum (Hel. 753 „τί δῆτα μαντευόμεθα" et Or. 444 „κύκλῳ γὰρ εἱλισσόμεθα"). Itaque Nauckii sententiam, qui nunc tragoediae sint tribuendi isti Cratetis versus dubitat,[1]) argumentis e metro petitis neutiquam fulciri apparet.

§ 8.

De dactylis in quinta senarii sede admissis.

Quum ne in versus fine numerus iambicus dissolveretur prorsus ac perverteretur verendum esset poetis, si in quinta senarii δακτύλους ἰαμβοειδεῖς usurpavissent pro iambis, cur in tragoedia omnino vitata sit ea solutio facile est ad perspiciendum. Perpaucos igitur versus, qui obstare videntur ei legi, esse vitiosos ac levi emendatione sanandos ratus in disput. mea § 25 s. f. meo jure contendere posse mihi visus sum, nullo tragoediarum Graecarum loco quintum senarii pedem solutum esse in dactylum.

Aliter quidem res se habet in fabulis satyricis, quippe quae, si metri tractandi rationem respicis, propius ad comoediae socculum, quam ad grandem tragoediae accedant cothurnum.[2]) Quae quum ita sint, quis jure miretur, unum exstare fabulae satyricae locum, quo, quod apud comicos poetas saepissime fit obviam,[3]) dactylus in quinta senarii sede admissus sit, Python dico frgm. 1, 16 „σίτον διαπέμψαι καὶ πολίτην γεγονέναι." Quem versum, quamquam omnium et tragoediarum et satyrorum, quotquot nobis servati sunt, solus hanc praebet solutionem, ut corruptum esse censeam, haudquaquam adducar.

Caput tertium.

De anapaestorum usu in tragicorum minorum trimetris iambicis.

§ 9.

De anapaestis in prima senarii sede admissis.

1. Saepissime, ut apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, occurrit in minorum tragicorum versibus ea solutionis forma, ut in trimetri initio anapaestus efficiatur voce vel trisyllaba, vel plus tribus syllabis continente.

Ac primum quidem trisyllabis vocabulis conformati inveniuntur anapaesti in Achaei frgm. 3, 3 „ποδαποί", 40, 2 „κοχλίας", Agathon. 13, 1 „ἀπολεῖς", 12, 1 „ἰδίας", 22, 1 „ἀδικεῖν", 25, 1 „σοφίας",

[1]) nisi omnia me fallunt, metri imprimis ratione habita; addit enim (ann. crit. ad Crat. l. l.): „Ceteri ejusdem Cratetis versus iambici (Bergk., lyr. Gr. pg. 526 sq.) magis etiam a tragoedia abhorrere videntur."

[2]) Cfr. Mar. Victor. 2527, Schol. Hephaest. pg. 169, G. Hermanni elem. doctr. metr. pg. 124, 125; Leutschii librum eruditissimum, qui inscriptus est „*Grundriss der Metrik*", § 88, ann.

[3]) cfr. *J. Rumpel* in Philol. XXVIII, pg. 607 sqq. *Rossbach et Westphal*, „Metrik der Griechen" II, 485 (edit. II).

Digitized by Google

Crit 1, 19 „παρέχων“, Diogen. Athen. 1, 7 „ποταμῷ“, Astydam. 3, 2 „φιάλης“, Chaerem. 6, 1 „στεφάνους“, 7, 2 „στεφάνων“, 9, 2 „ἔαρος περιῤ̃“, 11, 1 „στεφάνοις“, Antiph. 2, 2 „ἀρετῆς“, Theodect. 14, 1 „γηγενέων“[1]), Lycophr. 1, 5 (fab. sat.) „πατέχω“, adesp. 227, 1 „μέλετη“, 247, 1 „ἀγαθῇ“, 274, 1 „ἐλαφρὸν παρανεῦν“[2]), 420, 1 „ὁδός“, 382, 2 „θνατας“; praeterea in Ezech. v. 9, 183, 194, 265 „βασιλεύς“, 47 „ἑτέρον τιν' ἡμᾶς“, 63 „ἱερεύς“, 71 „θιάσῳ“ ἔχοντα“, 98 „αἰγλα“, 135 „βατράχων“, 145 „ἀκρίδας τε“, 206 et 242 „ἐρυθρᾶς“, 251 „στελέχη“, 254 „ἕτερον δε“ . . .[3]).

Nominibus propriis eodem modo efficitur anapaestus in Jon. frgm. 1, 3 „Πείσωι“, Agathon. 4, 3 „Σκυθικῷ“, Diog. Ath. 1, 2 „Κυβέλας“, Python. 1, 17 (fab. sat.) „Γλυκέρας“, Ezech. 18 et 23 „Μαριὰμ δ' ἀδελφή“, 60 „Λιβύη“, 105 „Λιβυκάμ τε“, 149 „Φαραὼ“[4]).

2. Prioribus vocabuli syllabis conformatur anapaestus in prima sede Jon. 21, 1 „ἐναντίαν“, 29, 2 „κατέχυνε“ (utrumque fragmentum fabulae est satyricae), Agath. 5, 2 „ἀγένητα“, Diogen. Ath. 1, 3 „ἀντάνωσι“, Chaerem. 1, 4 „ἐρύθημα“, Cratet. 3, 4 „ἀνώμεθ'· οἵτινες“, adesp. 63, 1 „ἀπόλωλα“, 157, 1 „ἐγάρησεν“, 438, 1 „ἀφροδίσιος“, 445, 1 „ἀδικώτατον“, 455, 3 „κναιωτόν“; denique Ezech. 76 „διέθημα“ (= 138 „κνυόμενα“, 157 „ἀνχομηθίς“ et in nom. propr. v. 116 „Ἄφρωνα.“ Quibus locis si Hermanni comprobanius conjecturam, addendus etiam. Sosith. 2, v. 1 „ἀοντέσσιν.“

In plerisque versibus s. 1 et 2 hujus paragraphi allatis levi syllabarum pronuntiatione solutionem leniri quodammodo, immo tantum non tolli videri, non est quod moneamus.

3. In veteri tragoedia anapaestos in prima senarii sede non admitti nisi integris vocabulis conformatos, e pluribus compositos vocibus ad recentioris tragoediae incuriam esse referendos, rectissime observavit G. Hermannus (elem. doctr. metr. pg. 120). Cujus licentiae unum suppeditat exemplum Sophocles, idque in Philocteta (v. 795), quam fabulam negligentius ceteris, si metri artem respicimus, scriptam esse constat; plura Euripides in tragoediis deterioris notae. Ubicunque vero eam licentiam admiserunt tragici poetae, id semper curaverunt, ut quae efficerent solutionem vocabula arctissimo inter se junctae essent nexu, praepositiones plerumque collocantes in prima versus sede, nullo modo separandas a substantivo vel adjectivo, quod sequitur (cfr. *de ped. sol.* § 32, 3). Neque aliter res se habet in fragmentis tragicorum minorum. Conformatur anapaestus primum praepositione bisyllaba et initio vocis, quae sequitur, in Ezech. 147 „ἐπὶ πᾶσι“ et 176 „κατὰ συγγενείας“; tum efficitur praepositionibus bisyllabis, quas excipiunt vocabula monosyllaba arctissime conjungenda et cum antecedente voce et cum sequente, Theodect. 7, 1 „ἀπὸ τῶν θεῶν“, adesp. 361, 1 „μετὰ γὰρ νοσούντων“, 427, 1 „μετὰ τὴν σωὰν“ . . . Denique pariter, atque in versibus modo allatis, rem se habere in Agathon. 4, 5 „ἐγ' ἑνός τε“ . . . nemo non perspicit.

§ 10.

De anapaestis in ceteris senarii locis admissis.

Quicunque operam posuit in cognoscenda metrica Graecorum doctrina, anapaestum in alia, atque in prima senarii sede, nisi qui in nomine proprio sit, in tragoediae versibus omnino

[1]) nisi h. l. per synizesin vocabulum illud tamquam bisyllabum sumis pronuntiandum esse.

[2]) quem versum comici esse poetae Meinekius nescio quo jure conjecit.

[3]) Moschion. 10, 1 pro *σανίσιν* recte restitutum est, quod in cod. Paris. A scriptum exstat a pr. m. „*σὰν εἶαι*“; cfr. *Meineke*, „Monatsberichte der berl. Akad.“ 1855, pg. 108.

[4]) quo ex versu, ut e v. 56 „*ζητεῖ δὲ Φαραώ*“, elucet, alteram ejus nominis syllabam corripi ab Ezechiclo, liaque nescio an v. 9 et 194, ubi legitur „*βασιλοὺς Φαρῶ*“ *κτλ.*, scribendum sit articulo inserto „*βασιλεὺς ὁ Φαραώ*“, ut eadem fiat syllabae his locis quantitas, quae in v. 56 et 149 satis integris, ut videtur, exstat. Accedit quod hebraica nominis forma פַּרְעֹה, nisi omnia me fallunt, alteram vocis syllabam a Graecis produci prorsus vetare videtur.

Digitized by Google

ferri non posse perceptum habet atque assentiendum esse utique praeclaro illi judicio ab Elmsleyo prolato:[1]) „Should any scholar of the nineteenth century venture to maintain the admissibility of an anapest, not included in a proper name, into any place of a Greec tragic senarius except the first foot, he would assuredly be ranged with those persons, if any such persons remain, who deny the motion of the earth or the circulation of the blood.“ Quotquot igitur exstant tragoediarum versus, qui anapaestum in alia, atque in prima trimetri sede offerant, eos librariorum errore esse corruptos pro certo affirmamus. Quae res quemadmodum apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem sese habeat, accuratius exposuimus in disput. *de pedibus sol.* §§ 29, 31, 33. Superest jam, ut quid lateat in minorum tragicorum fragmentis indagare studeamus et in lucem proferre.

1. Ac primum quidem respiciendi sunt anapaesti, quos in altera trimetri sede legimus admissos. Reperiuntur septem ejusmodi exempla: Achaei frgm. 11, 2 „ἦ που σφόδρα θυμοῖ;“ ..., 25, 1 „πολὺς γὰρ ὅμιλος“, Python. 1, 8 „τὴν Πυθιονίκης“, 1, 16 „σίτου διαπέμψαι“, adesp. 37, 1 „ἀλλὰ στεφανοῦ“, 382, 2 „θυσίας γὰρ ἀπαρχάς“, 462, 5 „ἐπὰν ἐπ' ἄκρον τις“.

Quo in numero qui leguntur Pythonis versus, offensioni non sunt, utpote qui sint fabulae satyricae, quam, sicut comoediam, in unaquaque, excepta sexta, sede anapaestos admittere certissime constat.[2]) — Achaei quod priore loco attulimus fragmentum ex Aethone fab. satyr.[3]) petitum est, alterum ab Athen. VII, 277, B fabulae cuidam tribuitur, cui nomen est „Μοῖραι“. Quam fabulam et ipsam esse satyricam, quo poeseos genere Achaeum imprimis praestitisse constat[4]), altero fragmento ejusdem fabulae, quod memoriae nostrae prodidit Hesych. (II, 693) s. v. νυμφόβας luculentissime evinci jure suo dicit Friebelius l. l. pg. 50. 51. Quae quum ita sint, conjecturam Erfurdtii, qui in illo versu scribendum judicavit „δ' ὅμιλος“ pro „γὰρ ὅμιλος“, non habere, quo arrideat, quis est quin intelligat? — Quem adesp. v. 37 attulit Nauckius „ἀλλὰ στεφανοῦ καὶ σπένδε τῷ Κοαλέμῳ“, legitur in Aristoph. Equit. (221), ubi schol. annotavit „τοῦτο δὲ παρῴδησεν ἐκ τῆς τραγῳδίας“. Quod utcunque se habet, id pro certo affirmandum, ita, ut apud comicum poetam exstet ille versus, scriptum eum esse non posse in tragoedia propter anapaestum prorsus illicitum in altera senarii sede; qualis vero fuerit illa tragici versus parodia, nobis non liquet.

Adesp. fragmenti 382, quod servatum est a schol. ad Soph. O. C. 1375, versus quindecim e dramate satyrico repetitos esse quod conjecit Nauckius,[5]) ipse sine ulla dubitatione pronuntio, et verborum argumentum respiciens et metri tractandi rationem. Itaque non consentiendum esse ratus cum Hermanno, qui anapaestum illum in altera sede admissum particula γάρ deleta studuit removere, libri scripturam, quamvis tres in eodem versu praebeat solutiones, genuinam omnino et integram judico. — Postremo quod attulimus loco adesp. frgm. 462 τραγικὸν ἐπεισόδιον esse quum expressis verbis testetur Stob. (floril. 105, 51), ferri non posse lectionem v. 5 „ἐπὰν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράσσειν δράμῃ“ elucet. Ac mihi quidem certissima videtur Nauckii emendatio, qui vitiosum illud ἐπάν removit scribendum esse conjiciens „ὅταν“, ut solutio evadat primi pedis, qualem bis apud Euripidem reperiri docuimus in dissert. de ped. sol. § 12, 6.[6])

[1]) *review of Porson's Hecuba in* „Edinburgh review“ 1811, no. XXXVII, pg. 65.

[2]) cfr. Hermanni elem. doctr. metr. pg. 125, praef. ad Eur. Cyclop., pg. 14 sqq., *W. Christ,* „Metrik der Griechen u. Römer“, pg. 346. *Rossbach et Westphal,* „Metrik der Griechen“ II, 486 (edit. II).

[3]) cfr. Friebelii Graec. satyrograph. frgm. pg. 23 sqq.

[4]) cfr. Diog. Laert. II, 133, *Welcker,* „die griech. Tragödien“ pg. 959, *Bernhardy,* II, pg. 54 sq.

[5]) Bergkius Pratinae esse eum locum ratus pro verbis schol. „ὡς καὶ παρά τινι αὐτὰ κεκτῆσθαι“ aperte corruptis ingeniose proposuit scribendum „ὡς καὶ Πρατίναν αὐτὰ ἐκτίθεσθαι“.

[6]) cfr. quae supra diximus § 1, 4.

Digitized by Google

2. Duo praebent exempla anapaestorum in tertia senarii sede admissorum fabulae satyricae Pythonis (frgm. Agenis v. 10 „τίνες τύχαι κατέχουσιν“[1]) et Lycophronis (frgm. Menedemi fab. 2, 2 „ὑδαρὲς ὁ παῖς περιῆγε“), quae haudquaquam mutanda videntur. Contra in adesp. frgm. 458, 7, qui versus in libris Stobaei (floril. 74, 27) manifesto corruptus exhibetur, Bentleyus suo, opinor, jure eliminavit anapaestum e tertia trimetri sede scribens pro *ἐμπλήσασά τ' ἀπήλλακται* deleta particula *ἐμπλήσασ' ἀπήλλακται*, qua emendatione et metro et verborum structurae optime consultum est. —

Quod scriptum exstat in Ezech. v. 74 „σκῆπτρον δέ μοι παρέδωκε κεὶς Θρόνον μέγαν“ tolerari non posse persuasum mihi est. Ut enim concedamus, Judaeum illum aliquanto negligentius tractasse artem metricam in componendis senariis, quam ceteros Alexandrinae aetatis, quam vocant, scriptores, nusquam tamen eo progressus est socordiae, ut quas apud reliquos omnes tragoediarum auctores valere vidisset regulas, prorsus eas praetermitteret ac nihili faceret. Qua re non dubitans, quin locus ille pro corrupto sit habendus, nescio an veram ei restituam lectionem proponens:

„σκῆπτρον δ' ἐμοί τ' ἔδωκε κεὶς Θρόνον μέγαν“ κτλ.,

ut arctissima cohaereant conjunctione verba *σκῆπτρον ἔδωκεν* et *εἶπε καθῆσθαι εἰς Θρόνον*.

3. In quarta senarii sede praebet anapaestum nominis proprii syllabis expressum Dionys. 9, 1 „Δωρὶς τέθνηκεν, ἡ Διονυσίου γυνή,“[2]) qui versiculus num in tragoedia locum habuerit dubitari posse injuria, opinor, censet Nauckius. Lepidissima enim et maxime jocosa Luciani narratiuncula[3]) prorsus perversa esset ac frigida, nisi jejunos istos, quos affert, versus revera e tragoedia quadam Dionysii tyranni illius versificantis repetitos esse crederemus. — Alterum anapaesti nomine proprio conformati exemplum legitur in adesp. frgm. 73, 1 „πόντου πλάνητες Λευκοθέαν ἐπώνυμον“, quo in versu licet quidem sumi per synizesin, quam vocant, prorsus tolli pedis quarti solutionem. — Python. 1, 14 „καὶ μὴν ἀκούω μιμιάδας τὸν Ἄρπαλον“ fabulae est fragmentum satyricae.

In Theodect. frgm. 6, 1, nisi e dramate satyr. id esse repetitum sumamus, quin pro „μαλακόβλαλμος κίκλος“ scribi oporteat aut cum Welckero „μεσόβλαλμος“, aut cum Valckenaerio et Schweighäusero „μεσόμμαλος“, aut cum Scaligero „καλόβλαλμος“, dubitationi dixerim haud obnoxium.

Operae non pretium esse videtur, diserte h. l. dicere, quae inveniatur scriptura in omnibus fere Lycophronis codicibus et editionibus, Alex. 71 „καὶ πῦρ ἐναιγάζουσαν *ἀϊστωτήριον*“, eam a Muellero, Bachmanno, Hermanno dudum correctam esse remotis punctis diaereseos, quae vocantur, in voce *ἀϊστωτήριον*. Idem fecere rectissime sine dubio in vv. 214, 281, 339, 1282, 1341, qui et

[1]) si quidem assentimur Schweighaeusero, qui pro librorum lectione „κακοῦσιν“ sensu cassa illud verbum restituit.

[2]) ita legendum esse conjecit C. Fr. Hermannus pro librorum scriptura aperte corrupta „Δωρικὸν ἦεν“, nisi praeferendum, quod Seilerus, quem Jacobitzius in Luciani edit. secutus est, proposuit „Δωρίδιον ἦεν“.

[3]) Luc. adv. indoct. 15 „Λέγεται γάρ καὶ Διονύσιον τραγῳδίαν ποιεῖν ἡσύχως πάνυ καὶ γελοίως, ὥστε τὸν Φιλόξενον πολλάκις σὺ αὐτὴν ἐς τὰς λιταμίας ἐμπεσεῖν οὐ δυνάμενον κατίχειν τὸν γέλωτα. οὗτος τοίνυν πεθόμενος ὡς ἐγγελᾶται, τὸ Ἀλαχέλου πυξίον, εἰς ὃ ἐκεῖνος ἔγραφε, σὺν πολλῇ σπουδῇ πτησάμενος καὶ αὐτὸς ὑπὸ ἐνθους ἔσεσθαι καὶ πίτοχος ἐκ τοῦ πυξίου, ἀλλ' ὅμως ἐν αὐτῷ ἐκείνῳ μακρῷ γελοιότερα ἔγραψεν, οἷον κἀκεῖνο τό·

Δωρὶς τέθνηκεν ἡ Διονυσίου γυνή.

καὶ πάλιν·

Οἴμοι, γυναῖκα χρησίμην ἀπώλεσα.

καὶ τοῦτο γὰρ ἐκ τοῦ πυξίου, καὶ τό·

Αὐτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μοιροὶ βροτῶν.“

Digitized by Google

ipsi in quarta senarii sede, si codices sequimur, anapaestos exhibent prorsus illicitos formis ἀϊστῶσαι, ἀϊστώσεις, ἀϊστώσας, ἀϊστώσειν. Qua in synizesi, insolita quidem illa et paullo duriore, quum Bachmannus nonnihil offendisset (cfr. annot. crit. ad v. 71), G. Hermannus qua ratione excusanda esset ista licentia, sagacissime, ut solet, demonstravit (opusc. acad. V, 234). —

Ne quid omisisse dicar, non praetermittendum censeo Ezech. v. 135 ἀμέτρως traditum: „βατράχων τε πλῆθος καὶ σκνῖπας ἐμβαλῶ χθονί, quem Fr. Heinichenius in edit. Euseb. praep. evang. (Lips. 1843) correxisse sibi visus est scribens

„βατράχων τε πλῆθος καὶ σκνίτας ἐμβαλῶ χθονί."

At primum oblitus est, in vocabulo quod est σκνίψ, ubicunque legitur apud veteres scriptores, pariter atque in adjectivis σκνιπός, σκνιπαῖος, in substant. σκνιπότης, vocalem ι utique produci, nusquam vero obviam fieri ejus correptionem; deinde, anapaestum in quarta sede ne apud Ezechielum quidem ferri posse. Itaque nescio an versus illius corruptela sanetur, si legendum censeamus:

„βατράχων τε πλῆθος κἀμβαλῶ σκνῖπας χθονί."

4. Superest, ut de anapaestis, qui in quinta senarii sede leguntur, paucis agamus. Tria inveniuntur in minorum tragicorum fragmentis exempla ejus solutionis: Jon. 18, 2 „Βοιωτίας ἀκτῆς ἐχώρισεν ἐκτέμνων" (scribendum videtur ἐκτεμών), Achaei 14, 1 „ἀλλ' ὡς τάχιστα μέλανα θεῖρο μόνον φέρειν" Python. 1, 6 „ὁρῶντες αὐτὸν παγκάκως διακείμενον." Quorum qui primo loco legitur versus et Bentleyo[1]) et Nauckio medela egere visus est. Perperam autem in anapaesto admisso haesisse videntur, si quidem haescrunt, viri docti, quum Jonis Ὑμφάλην, ex qua versus ille repetitus est, fabulam satyricam fuisse et totius argumenti versuumque superstitum ratione et diserto Strabonis (I, 60) testimonio comprobetur.[2]) Neque plus nobis offensionis praebent Achaei et Pythonis versus, quippe qui et ipsi fabularum sint satyricarum.[3]) Qua de causa neque cum Casaubono consentio, in Achaei frgm. „θεῖρ' οἶνον" legendum esse conjiciente pro „θεῖρο μόνον", neque cum Nauckio, qui „θεῖρ' ἀμνόν" in frgm. edit. scripsit.

In Moschion. frgm. 7, 13 „ἀλλ' ἦν ἀκέμων κωφεύουσα ῥέουσα γῆ" eo minus solutio quinti pedis prorsus illicita in tragoediis agnoscenda est, quod ab hoc ipso poeta quantum fieri posset maxime pedes trisyllabos vitatos esse dudum intellectum est.[4]) Itaque in illo versu vocem „ῥέουσα" pronuntiandam per synizesin βυσλλάβως equidem habeo persuasum,[5]) supervacaneas esse conjecturas Meinekii („κωφὰ χηρεύουσα") et Nauckii („κῶφεσαν βρύουσα") ratus.

Caput quartum.

§ 11.

De binis ternisve pedibus in singulis minorum tragicorum trimetris solutis.

Haud alienum mihi videtur a re proposita, enumeratis atque in certos quosdam ordines redactis solutionibus, quotquot in tragicorum minorum fragmentis reperiuntur, eos jam afferre

[1]) qui scribendum esse conjecit (opusc. pg. 500) „Βοιωτίας ἐχώρισ' ἀκτὴν ἐκτεμών."

[2]) cfr. Wagneri edit. frgm. trag. Graec. pg. 26. — Casaubonus quidem (de poesi satyr. pg. 142) illud drama esse satyricum nusquam se legisse affirmans Strabonis loci illius immemor videtur fuisse.

[3]) cfr. Athen. IV, 173, D, II. 50, F, XIII, 586, 3. *Friebel*, l. l. pg. 29 sqq., 113 sqq.

[4]) cfr. Meinekii disput. in actis litter. acad. Berol. 1855, pg. 108 sq.

[5]) qua de re cfr. Hermanni elem. doctr. metr. pg. 52, Kruegeri gramm. Gr. II, § 13, 3, ann. 4, *J. Kumpel* in Philol. XXVI, 241 sqq.

Digitized by Google

versus, qui plures praebeant pedes solutos.[1]) Quorum qui e fabulis satyricis repetiti sint, prorsus eos esse separandos a ceteris, facile intelligitur.

1. Ac primum quidem bini exstant tribrachi in Chaerem. frgm. 17, 2, ubi alter secundam, alter quartam senarii sedem occupavit, et adesp. 85, 3 (in altera et tertia sede); tum in fabulis satyricis Python. 1, 12 (in prima et quinta sede) et Lycophr. 2, 3 (in prima[2]) et quarta sede). Binos deinde dactylos legimus admissos, quorum alter in prima, alter in tertia senarii sede positus est, in Mosch. 12, 2, Ezech. 13, 62.[3]) —

Quo ex versuum numero satis quidem exiguo, si confers cum iis, in quibus anapaesti et tribrachi, tribrachi et dactyli, anapaesti et dactyli juncti leguntur, nescio an concludi liceat, vitatam esse in universum a poetis conjunctionem pedum eodem modo solutorum, quum ne nimis simpliciter conformati esse varietateque carere viderentur versus, verendum iis esset.

2. Aliquanto plures mihi afferendi sunt trimetri, in quibus varii generis solutiones reperiuntur conjunctae. Primus pes solutus est in anapaestum, alter in tribrachyn: Agathon. 4, 5, Theodect. 14, 1,[4]) adesp. 157, 1, Ezech. 149 (quo loco nomen proprium efficit anapaestum).

Anapaesti in prima sede admissi conjunctio cum tribracho in tertia nusquam obviam fit, cum tribracho in quarta sede Agathon. 21, 1, Astydam. 3, 2 (quod fabulae esse satyr. fragmentum recte judicavit Friebelius l. l. pg. 75), Crat. 2, 4; anapaestum in prima sede cum tribracho in quinta adhibito solus conjunxit Ezech. v. 23.

Denique anapaestum exhibent in prima sede conjunctum cum dactylo in tertia Agathon. 4, 3 (ubi anapaestus conformatur nomine proprio), Diogen. Ath. 1, 7 et Antiph. 2, 2 (quibus locis dactylos efficiunt nomina propria), adesp. 420, Ezech. 176.

Dactyli in prima senarii sede admissi conjunguntur cum tribrachis in altera sede Ezech. 174, in tertia Ezech. 10, in quarta Astydam. 3, 4, Philisc. 1, 2; dactyli in tertia sede cum tribrachis in prima adesp. 107, 1, Ezech. 178, in altera Agathon. 4, 4, Chaerem. 1, 7 et 15, 1, Theodect. 6, v. 3 et 5, adesp. 305, 1; 479, 1, Ezech. 17, 19, 28; in quarta Chaerem. 34, 1, Theodect. 6, 2, adesp. 303, 1. —

Semel invenitur anapaestus in altera sede conjunctus cum dactylo in quinta expresso, Pyth. 1, 16, quem locum, utpote e fabula satyrica petitum, conjecturis non esse vexandum aut poetae omnino abjudicandum supra monuimus (§ 8). Idem mihi videtur statuendum de Lycophr. fab. sat. frgm. 2, 2, ubi primus pes solutus est in tribrachyn, tertius in anapaestum.

3. Unus exstat in tragicorum minorum fragmentis versus, qui tres praebeat solutiones conjunctas, dactylum cum duobus anapaestis, adesp. 382, 2 „*θνατὰς γὰρ ἀπαρχὰς πρέας ἐπέμπομεν πατρί*.“ Quem versum deleta particula correxisse sibi visus est G. Hermannus, e dramate satyrico repetitum dubitanter conjecit A. Nauckius. Cui quidem esse assentiendum et acquiescendum in illa lectione ipse maxime habeo persuasum.[5])

---

[1]) Quam quaestionem qui primus tractavit Joh. Rumpelius (in Leutschii Philol. XXV, pg. 64, 65) quum et nonnulla omiserit, et paullo alio ordine fragmentorum versus istiusmodi contulerit, ipse operae esse pretium arbitror, rem h. l. repetere.

[2]) nisi h. l. voce *ἀπρέμας* dactylum effici sumendum est.

[3]) quo loco prior dactylus nominis proprii syllabis efficitur.

[4]) ni vocabulum „*γονέων*“ per synizesin *βιονλλάβως* legendum esse sumis.

[5]) cfr. quae supra dicta sunt § 10, 1.

Digitized by Google

Caput quintum.

§ 12.

Collectis et, quatenus nostrum esse videbatur, pertractatis omnibus omnino tragicorum minorum versibus, qui praebent pedes solutos, jam, quae inde concludenda esse censeamus, paucis nobis liceat exponere.

1. Quod egregie primus, quod sciam, monuit G. Hermannus[1]) inde ab Ol. LXXXIX corrumpi coeptam esse in Graecorum tragoediis gravitatem numerorum senariosque ex illo tempore sensim ad comicorum versuum levitatem inclinasse, id quum Soph. Philocteta et Euripidis fabulis post illam Ol. scriptis[2]) comprobatur lucidissime, tum optime confirmatur tragicorum minorum fragmentis. Phrynichi enim, Aristiae, Aristarchi, Neophronis, Jonis, Achaei[3]) quotquot superstites sunt fabularum versus, et raras praebent solutiones[4]) et ita ubique conformatas, ut tragoediae respondeant dignitati; Agathon autem (quem Ol. 90, 4 prima, quam dedit, fabula victoriam reportavisse constat)[5]), Critias, Diogenes, Chaeremon, Theodectes, ceteri tragici, qui inde a bello Peloponnesiaco usque ad Alexandri fere aetatem floruisse traduntur, Euripideae artis maximam partem studiosissimi, tanta licentia in trimetris condendis usi sunt, ut plerique eorum versus nostrae memoriae proditi sermonem fere vulgarem videantur adaequare.[6])

2. Cui licentiae adversantes recentioris aetatis aliquot poetae tragici id studuisse videntur, ut Aeschyleam artem resuscitarent ac, „grammatica subtilitate limatiores, quam fecundi ubertate poetica“[7]), ad pristinam redirent numerorum severitatem et elegantiam in fabulis condendis. Quem in numerum referendi mihi videntur *Rhesi* quisquis fuit fabulae *auctor, Moschion,* postremo *Alexandrinorum* quae vocatur *tragicorum Pleias.*[8])

Ac Rhesus fabula a quo et qua aetate scripta sit, etsi viri doctissimi multa eaque gravissima protulere judicia[9]), tamen ne nunc quidem difficillimam eam quaestionem omni ex parte

---

[1]) observati, de ling. Graec. dialectis, Lips. 1807. Elem. doctr. metr. pg. 123.

[2]) cfr. *de ped. tol.* § 12 sqq., § 23 sqq., § 32 sqq.

[3]) qui poetae quo tempore vixerint, doctissime tractavit et copiosissime post Welckerum *W. C. Kayser* in libro, qui inscriptus est „historia critica tragicorum Graecorum“, Gotting. 1845.

[4]) *Phrynichi* exhibent senarii 8 superstites solutionem 1
Aristiae „ „ 5 „ „ 1 (fab. sat.)
Aristarchi „ „ 12 „ solutiones 3
Neophronis „ „ 24 „ solutionem 1
Jonis „ „ 39 „ solutiones 12 (6 e fabb. satyr. petitas)
Achaei „ „ 51 „ „ 11 (8 „ „)

[5]) Athen. V, 217, A. Cfr. *Kayser,* l. l. pg. 154.

[6]) praebet *Agathon* solutiones 15 in senariis 36, *Critiae* 7 (sen. 48), *Dicaiogenes* 2 (8), *Diogen. Athen.* 7 (11), *Astydamantes* 6 (16), *Chaeremon* 30 (76), *Antiphon* 3 (6), *Dionys.* 6 (19), *Carcinus* 6 (28), *Theodect.* 19 (58), *Crates* 5 (9), *Python* 14 (18, qui quidem sunt fabulae satyr.)

[7]) ut Hermanni utar verbis (elem. doctr. metr. pg. 124).

[8]) de qua accuratissime egerunt *Nacke* (opusc. I, pg. 1 sqq.) *Welcker,* de trag. Graec., pg. 1245 sqq., *Bernhardy,* hist. litt. Graec. II, 2, pg. 69 sqq. Cfr. etiam *Wagneri* disput. in edit. frgm. Eurip. Paris. pg. 147 sqq.

[9]) cfr. *Valckenarii* diatr. Eurip. pg. 88—114, *G. Hermanni* opusc. III, pg. 262 sqq., *Hartung,* Eurip. restit. I, 11 sqq.) *Spengler,* de Rhes. trag. (progr. gymn. Düren. 1857), *Bernhardy,* l. l. II, 2, 495 sqq., *Schenkl* in Philol. XX, pg. 484 sqq.

Digitized by Google

esse absolutam nemo nescit. Quum h. l. neque nostra interesse videatur et longum sit, rem repetere a capite, satis dicere habemus, nos a partibus stare F. Hagenbachii, qui (in disputatione de Rheso a. 1863 edita) rectissime rejecta quorundam opinione de origine Alexandrina fabulam nec florente Atticorum arte scenica nec paullo post, sed paullo ante Alexandrum (ca. annos 360—340) conditam esse conjecit: „quo tempore, quum unius exempli imitandi studium desiisset, fortasse poeta aliquis obsoleti jam enervatique generis Euripidei et volubilium leviumque numerorum taedio captus, animo ad gravitatem illam strenuitatemque veteris tragoediae, Aeschyli maxime et Sophoclis, converso, fabulam, quam nunc in manibus habemus, scripserit“ (cfr. Dindorf. prolegg., ad edit. poett. scen. Graec., edit. V, pg. 21). Cui opinioni optime ea congruere, quae de senariorum conformatione a nobis observata sint in disput. de ped. sol. in dial. sen. Aesch., Soph., Eur. (pg. 44, ann. 1. aliisque locis) non est quod fusius h. l. exponamus.

Jam si ad *Moschionis* fragmenta accedimus accuratius perpendenda, haud facile quemquam fugiet, qui perlegerit versus a Stobaeo[1]) et Clem. Alexandr.[2]) servatos, hunc poetam trimetris diligentissime condendis atque perpoliendis maxime operam dedisse. Quod quum alii observarunt homines docti, tum accuratissime tractavit A. Meinekius (in act. litter. acad. Boruss., Berol., 1855, pg. 108 sqq.) Qua in disputatione eruditissima vereor ut omni ex parte vere judicaverit vir doctus quum affirmaret, a Moschione, ut artem metricam ad pristinam reduceret dignitatem trimetrisque gravitatem redderet veteris tragoediae, prorsus vitatos esse pedes trisyllabos. Duodecim enim ad nostram aetatem pervenere hujus poetae fragmenta, quorum quod longissimum est, 33 complectitur senarios, reliqua excepto decimo, quod undecim versuum est, ternos, quaternos, quinos versus continent. Jam quum careant omnino solutionibus longe plurimi senarii, in tribus tantum versibus (frgm. 11 et 12) inveniantur pedes trisyllabi, inde concludere posse sibi visus est vir ille doctissimus, hos tales versus a poeta severioris stili studiosissimo profectos non esse. Cui primum quis idque suo, opinor, jure objiciat, vehementissimam excitari dubitationem, si respectu habito paucorum lacerorumque versuum superstitum, quibus singularia quaedam inesse observaveris, eam observationem tamquam certam legem, qua poeta fuerit obstrictus, proferre malis, quam casu sumere facta esse, quae animadvertisse tibi videaris. Quasi vero, ut exemplo utar, si Rhesi nostrae memoriae proditi essent tantummodo versus 52—54, 56—59, 61, 63, 65—68, 70—72, 490—523, 567—571, 575—578, 595—605, 608—612, 613, 614, quorum nullus praebet pedem solutum, inde colligi liceret, fabulae auctorem omnino abstinuisse solutionibus in dialogorum senariis[3]). Tum vero, id quod maxime tenendum, Meinekio Moschionem, quod Aeschyli artem poeticam resuscitare studeret, pedes trisyllabos in trimetris prorsus vitasse pronuntianti in animo non fuisse apparet, ne Aeschyli quidem omnes esse dialogorum versus solutionibus prorsus vacuos, quales iambographorum, quos vocant, plerique fuisse traduntur.[4]) Quid quod ea in re maxime cerni artem veteris tragoediae persuasum habemus, quod in versibus conformandis et tragoediae gravitati majestatique consuluerunt poetae et ne nimia numerorum aequabilitas fatigaret aures, elegantissime caverunt? Ejusmodi vero solutiones, quas Meinekius a Moschione, utpote metrorum summo artifice, profectas esse non posse contendit, sexcenties obviam fieri apud Aeschylum et Sophocles si inspexeris disput. meam de ped. sol.

[1]) ecl. I, 41, pg. 152, I, 8, 38, pg. 240, floril. 13, 14; 46, 14; 51, 21; 105, 22; 114, 9; 123, 3; 125, 3 et 4; 125, 14 (edit. Meinekii vol. I, pg. 259; II, pg. 214, 308; IV, 21, 67, 125, 137, 138).

[2]) strom. VI, 745.

[3]) atqui continet ea fabula 56 pedes solutos in 668 trimetris, cfr. *de ped. sol.* pg. 44, ann.

[4]) cfr. schol. ad Hephaest. VI, 14 (Gaisf.)

Digitized by Google

§ 5. 2. § 19, 2. § 21, 2. 4., al., sine ullo intelliges negotio. Quid multa? Persuasum mihi est, non assentiendum Meinekio, sed fidem esse habendam Clementi Alex., qui disertissime versus illos Moschioni adscripsit poetae. —

Superest, ut de *Alexandrinorum tragicorum Pleiade*, quae vocatur, paucis agamus. Cui attribuuntur a Suida *Homerus, Sositheus, Lycophron, Alexander, Philiscus, Sosiphanes, Dionysiades.* Atque Homeri quidem, Alexandri, Dionysiadis nulli, quantum equidem scio, pervenerunt versus ad nostram aetatem; Philisci vero nomine quae servata sunt binorum senariorum fragmenta num revera tragico tribuenda sint Alexandrino, jure videtur esse dubitatum.[1]) In Sosiphanis senariis decem nulla obviam fit solutio, in Sosithei Lytiersae (fab. sat.) fragmento unius et viginti versuum reperiuntur duae,[2]) in reliquis sex versibus aliunde petitis nulla; Lycophr. Menedemi (fab. satyr.) quatuordecim versus octo praebent pedes solutos, denique in trimetris 1474 Alexandrae fabulae (si quidem fabulam nominari licet opus illud operosum) una et viginti admissae sunt solutiones,[3]) quarum undecim efficiuntur nominum syllabis propriorum.[4])

Quae si spectamus, nos non fugit, poetas illos Alexandrinos maxime id egisse, ut vitatis quantum fieri posset pedibus trisyllabis in dialogis pure plerumque procederet numerus iambicus. Vereor tamen, ne G. Hermannus non recte egerit, pedes solutos, exceptis iis, qui in nominibus propriis essent, furca expellere studens e Lycophr. fabula („de Bachmanni edit. Lycophronis", opusce. acad. V, pg. 248 sqq.). Licet enim et ipse trimetros puros maxime esse idoneos et accommodatos sermoni oraculorum gravitatem imitanti et recondita luxurianti doctrina, qualem exhibent Alexandrae versus, haud negem, tamen non esse cur undecim, qui nominibus propriis efficiuntur, pedes solutos admiserit, ceteroquin omnibus omnino abstinuisse putandus sit poeta solutionibus, pro certo ausim affirmare, praesertim quum eae sint omnes, quae nihil offensionis praebeant. Accedit quod non facile est intellectu, qua ratione invaserint in verba ejus potissimum auctoris tot corruptelae, quot sumit Hermannus, qui et ipse non in omnibus versibus conjecturam, quae satis faciat, in promptu esse fatetur. Considerantibus igitur, quae modo exposita sunt, non potest fieri quin eundem in errorem incidisse nobis videatur Hermannus, quo deceptum esse Meinekium supra diximus, quum observationem quandam, quam se fecisse putabat, tamquam severam legem, qua utique poetam obstrictum fuisse oporteret, non dubitaret pronuntiare.

Ne longum fiat, quae supra copiosius disserui, hunc in modum breviter complectar:

a. Quamquam in universum recentiores Atheniensium poetae tragici, qui inde a bello Peloponnesiaco usque ad Alexandri aetatem fabulas condiderunt, Euripidem imprimis imitati in metris tractandis negligentiores fuerunt et dissolutiores, nonnulli tamen exstitere, qui priscam

---

[1]) v. Nauckii annot. crit. ad Philisci frgm. l. l. pg. 637.

[2]) si comprobaverimus Hermanni egregias conjecturas v. 11 et 16, de quibus cfr. quae supra dicta sunt pg. 7 et 15.

[3]) omissis sex illis locis, quibus verbis *εἴστόω, εἰστωτήριον* anapaesti illiciti in versus illati esse olim videbantur: qua de re cfr. § 10, 3.

[4]) nomina propria efficiunt tribrachos in altera sede semel (v. 874 „*δὲ Μιτέων*"), ter in quarta (520 „*Ἀογγάτις Ὁμολεΐς*", 700 „*κρῆτα Πολυδέγμων*", 1046 „*νῆμε Πολυάνδοε*"), dactylos in tertia sede quinquies (v. 652 „*ατεφφαπέπλου Σκαμανδώς*", 680 „*Κωναχρώτης, Τριπέμπλος*", 920 „*Λίλαίου Πιτταρίους*", 930 „*ἐπποτέκτων Λαγαρίας*", 1288 „*τέμενον Τάναϊς*"), anapaestos in quinta bis (v. 720 „*Παφθενάπαν*", 952 „*Ἀπαμέδων*"); appellativis conformantur tribrachi in altera sede v. 1204 („*νήσους δὲ μακέρων*", nisi h. l. sec. cod. Rehdigeranum legendum est „*μακέρων δὲ νήσους*", quae solutionis forma mihi quidem metri tractandi diligentiae Lycophroneae magis convenire videtur), in tertia v. 1164 („*Σθένιον Ιατίδες*"), in quarta v. 941 („*λάτταρος Ιερείας*"): dactyli in tertia sede septies iique ita conformati, ut thesin efficiat ultima vocabuli syllaba, arsin solutam priores ejus, quod sequitur: v. 263, 962, 963, 1218, 1222, 1242, 1469.

Digitized by Google

metricae artis severitatem in tragoediis suis revocare studerent. Inter quos referendi sunt Moschion et auctor fabulae Rhesi, quorum uterque ca. Ol. 100 videtur floruisse.

b. Majorem etiam adhibuerunt diligentiam ad imitandam veteris tragoediae formam Alexandrinae aetatis poetae, qui eo usque progressi sunt, ut in trimetris condendis, quantum possent, evitare conarentur pedes trisyllabos. Quamquam omnino eos abstinuisse longarum syllabarum solutionibus in senariis pronuntiari non licet.

c. Quod vidisse sibi visus est G. Hermannus,[1]) etiam in satyris poetas Alexandrinos rediisse ad majorem metricae artis severitatem, qualem in fabulis satyricis ante Ol. 89 scriptis adhibitam fuisse credibile est, fortasse recte se habet, sed verum id esse demonstrari nequit. Licet enim fidem facere videatur ei rei fragmentum Lytiersae Sositheï, quippe quod in vv. 21 duas praebeat solutiones,[2]) haudquaquam tamen confirmatur reliquiis Menedemi Lycophroneae, quum octo exstent in duodeviginti senariis pedes soluti iique maximam partem paullo liberius conformati.

3. A reliquis aetatis Alexandrinae poetis mirum quantum distet *Ezechielus* versificator iste Judaeus, quem acqualem fere fuisse Pleiadis simillimum est veri[3]). Continet enim **ἐξαγωγῆς** fragmentum 269 senariorum, qui tempus tulerunt, solutiones 101, ut in binis paene versibus singuli sint pedes soluti, easque saepe numero ita conformatas, ut vel Orestis fabulae Euripidis licentiam, ut non dicam negligentiam in metro tractando incredibiliter superent. Sunt revera, ut jam Eichhornius judicavit,[4]) versus hiantes saepissime et claudicantes et minime pares tragicae dignitati, „ut quae loquantur" dramatis personae, „sumta de vita putes." Unde elucet, Ezechielum in metris condendis pedissequum fuisse Euripidis auctorumque recentioris tragoediae, nullo autem pacto cohaerere cum poetis illis Alexandrinis, qui, quemadmodum Lycophron fecit, Aeschyleam metrorum artem imitarentur ac revocare studerent. Itaque nescio an conjici liceat, decem istos versus, servatos ab Epiphanio (I, pg. 544 edit Patav.), quos Jos. Scaligerus Ezechieli esse censuit,[5]) ei poetae non tribuendos esse, utpote qui solutionibus omnino vacent. Quamquam, quae est horum versuum paucitas, id pro certo affirmare haudquaquam ausim.

4. Posteriori tempore qui continuavere tragicam poesin versificatores potius, quam poetae nominandi, ut auctor dramatis quod inscribitur *Χριστὸς πάσχων*, Ignatius, Plochirus, Theodorus Prodromus, alii, nova prorsus trimetros condendi iambicos ratione usi sunt. Quantitatis enim, quae vocatur, syllabarum neglecto in versibus discrimine, senarios struxerunt *δωδεκασυλλάβους*, quibus ea sola constituta esset lex, ut quae sextum pedem efficeret vox accentum haberet in paenultima.[6]) Hanc tantam metricae artis conversionem non repente factam esse, sed sensim pro-

[1]) elem. doctr. metr. pg. 125.

[2]) ac ne eas quidem omni ex parte indubitatas, cfr. quae supra diximus pg. 22, ann. 2.

[3]) Quam protulit sententiam Magnínus in diario eruditorum Gallico („journal des savants", 1848, pg. 194 sqq.), perversa prorsus ratiocinatione usus, vixisse Ezechielum saeculo altero post Chr. n., eam certissimis explosit argumentis G. Dindorfius in praef. edit. Eusebii (Lips. 1867, pg. XIX sqq.), demonstrans vel medio vel exeunte paenultimo ante aeram nostram saeculo fabulam eum composuisse, id quod jam Philippsonius (in edit. carminum Ezechieli et Philonis, Berol. 1830, pg. 11) studuerat probare.

[4]) comment. de Judaeorum re scen. pg. 20.

[5]) quem secuti sunt Philippsonius et Duebnerus.

[6]) cfr. de his versibus *Apel*, „Metrik" II, pg. 1—30, *Henrichsen*, „über die sog. politischen Verse bei den Griechen", übers. von *Friedrichsen*, Lips. 1839, pg. 24 sqq., *Leutsch*, „Grundriss der Metrik, § 173 sqq., *Bernhardy*, l. l. II, pg. 775—784, *Westphal*, „allgem. griech. Metrik", pg. 264 sqq. (edit. I), *Christ*, „Metrik der Griechen und Römer," pg. 401 sqq.

Digitized by Google

cessisse ac pedetemtim, quum per se probabile est, tum argumentatione satis certa demonstrare posse nobis videmur. Nam ut Babrii fabulae et Anacreontea, quae dicuntur, pleraque versus exhibent, quibus et syllabarum quantitati consulatur apud veteres valenti poetas et verborum respiciatur accentus,[1]) ut transitum quasi faciant ad formam poeseos medio aevo usitatissimam, ita unum exstat scenici poematis fragmentum, quod et ipsum priscam metrorum artem conjunctam quodammodo praebeat cum recenti, *Ignatii* dico versus in Adamum, quos primus edidit Boissonadius ex cod. Paris. 1630, fol. 213, 214.[2]) Cujus fragmenti versus 143 ita esse comparatos, ut neque solutiones praebeant et legem istam de paenultimae accentu omnibus fere locis observent,[3]) syllabarum quantitate nequaquam neglecta,[4]) miror, quod, quantum equidem scio, nemo adhuc animadvertit. Atqui quum in medio quasi positi sint hi versus antiquioris et recentioris artis, non levis esse videntur momenti, unde qua ratione paullatim facta sit depravatio ista versuum Byzantinorum, perspicue cognoscatur.

Haec vero hactenus, quum aliena ea esse a re nobis proposita merito possis ac jure tuo judicare.

Perducto jam ad finem hoc commentariolo, si quid videbitur a me praeteritum, vel si quid mutandum vel omnino tollendum, benevole mihi velim ignoscatur. Lubrica enim est via, ut rectissime monuit Nauckius (praef. ad edit. tragg. Graec. frgm. pg. XIII), quam ingrediuntur qui poetarum reliquiis operam navarint, neque aliis potius quam sibi quemque par est diffidere. Quae quum ita sese habeant, cui alia non qua debebam sollertia videbor tractavisse, alia exponens in errores incidisse, eum commonefaciam versiculi illius (adesp. frgm. 261):

„ἄνθρωπος ὢν ἥμαρτον· οὐ θαυμαστέον.“

---

[1]) cfr. Wesphal. l. l. pg. 266, 267.

[2]) in anecd. Graec. vol. I, pg. 436 sqq.

[3]) exceptis vv. 35 et 121, in quibus vocabula *προπαροξύτονα* terminant senarium.

[4]) paucissimos enim, qui adversari videntur ei observationi, versus esse corruptos et sine ullo negotio emendandos, ipse habeo persuasum. Ita, ut unum proferam exemplum, in v. 119, qui in codice exhibetur *„οὐ δειλιῶσα τὴν παρρησίαν φέρειν“*, sine dubio scribendum est, *παρουσίαν*, qua conjectura et metro et verborum sententiae optime, si quid video, consulitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Class 4268.75
De pedibus solutis in tragicorum mi
Widener Library 005837660
3 2044 081 367 864

Digitized by Google